

Nascitur HENRICO famosus filius Oddo;  
 Qui fuit electus Regis pietate perennis  
 Primus Saxonum Rex post patrem strenuorum,  
 Augustus Romanorum pariterque potentum.  
 MENSIBUS hinc SENIS cursu volitante peractis,  
 Dum decus hortanti (i) clarum generis fuit ortum,  
 In quo læta procul dubio promissa repleta  
 Christi Baptistæ creduntur primitus esse  
 Istius, exiguæ quæ mox in vertice Musæ  
 ADÆ namque suæ memini fore dicta parenti;  
 Oda nimis felix, nostri spes & Dominatrix,  
 QUUM DECIES DENOS SEPTEM quoque vixerat ANNOS,  
 Vitam fine bono consumens transit ad astra,  
 Exspectans spe felici tempus redeundi  
 Flatus, atque resurgendi de pulvere pleni  
 Corporis in tumulo, quod nunc sub tegmine duro  
 Juxta natarum requiescit busta suarum.  
 Nec Christina, suis quæ sola remansit alumnis  
 Iam tunc instantis grandis dulcedo doloris,  
 Plus quam bis ternos post matrem vixerat annos:  
 Sed reddens animam factore vocante beatam,  
 Jungitur in lucis patria pacisque perennis  
 Eius germanis, quarum pollebat honoris  
 Heres, & sanctæ sectatrix inclyta vitæ.  
 Quas matri cunctas in cœlo confociatas  
 Alme pater tecum præsta gaudere per eum, (k)  
 Illius (l) boni mercede perenniter uti,  
 Quod retro cuncta tuis servasti secula charis:  
 Quo Te cum Nato, nec non cum Flamine sacro,  
 Solum Rectorem cœlestibus imperitantem  
 Dulci lætitiæ laudantes (m) voce iocundæ.

## XXVII.

HENRICI BODONIS  
 CHRONICI GANDESHEMENSIS  
 SUPPLEMENTUM

Ex MSto.

*Distichon Distrophon.*

**U**i corde fuerit, fundamina Gandesianæ  
 Ecclesiæ primus quis jecit,  
 Nosse: & quam rebus dederit Deus esse secundos  
 Tantis successus, fore gnarus  
 Quisquis avet: gratus legat hæc syntagmata fratris  
 Hinrici Bodonis paucula,

Multo

(i) *Hor tanti.* Sensus est: *Odam obiisse quinto mense, ex quo ortum est hoc tanti generis decus Oddo, in quo impleta sunt promissa initio hujus carminis memorata, Ada seu Aeda facta.* (k) *avum.*  
 (l) *illiusque boni.* (m) *laudemus.*



Multo (vera loquor) ripis quæ abducta labore  
 Ille soporiferis lectori affert:  
 Esse putans frugi, veniant si in posteritatis  
 Ista manus, male quæ latuere.  
 I rogo, tu cubitum, quondam qui nescius horum,  
 Inficias isti, modo quæ capis:  
 Dicito sceminulis fuerit secularibus ipsum  
 Cœnobium extractum. Certe non.  
 Sed, sua quæ Regi fuderunt vota tonanti  
 Ultrò, has incoluerunt sacras  
 Ædes, quæ & sexum & mundum vicere puellæ.  
 Id nostra hæc monumenta docebunt.

*Præfatiuncula, in sequens de Gandesiana Ecclesia  
 constructione syntagma.*

**C**VM optimi cuiusque viri sensus non sic obsonio vel opipere quopiam, sicut rerum probe gestarum lectione reficiantur, & maiorum suorum factis semper vel cohortetur vel admoneatur posteritas, cogitavi de Ecclesia Gandesianæ fundatione, nonnichil commendare literis, quod vel frugi posteris, vel lectori delectabile foret. Id autem ut vellem, opusculum illud illustrissimæ sanctimonialis femine *Hroswithæ*, in quo ecclesiæ memoratæ fundationem heroico canit poemate, fateor, me & accendit, & ad rem propemodum compulit, Hoc namque post sexcentos annos latenter in aliquorum noticiam deductum, plurimorum non recte de ipsa ecclesia blaterantium, & opinionem & assertionem fortiter abigens & profus condemnans repellit, palam cunctis faciens cœnobium sacratarum Deo virginum fuisse, & se monialem *poetis* (\*) ipsa non uno in loco appellat. Nihil proinde veri continet, quod de ecclesia Gandesiana & illius similibus & quidem plurimis vel dicitur vel scriptum invenitur, quod scilicet faminulis fuerint constructæ sub tamen quadam cœnobiali censura ad pudicitiam tantummodo custodiam, unde quando libuisset, nubere illis viris liceret. Id ut verum comprobetur, fundationis literæ, & locis concessa privilegia in vulgum exponantur, & quæ à populo dicuntur, fore nulla, omnino deprehendantur, Verum vulpeculæ dolosæ vel concupiscentiæ carnalis vel fastus ambitionisve secularis, domini vineam demolientes, cœnobialis vitæ radices abruperunt, & exortis vepribus & spinis quadam priscorum labrusca remansit; quæ enim dum cœnobialis illic perfectio floruerat, vitia fuissent, hic modo habentur mores. Et quis non consummatam esse infelicitatem iudicabit, quandoquidem non modo quæ mala sunt delectantur, sed etiam placent; At viderint. Cæterum, ut quod cordi fuerat, ad rem conferre possem, qua potui diligentia in modum argutæ apis vetustissimos codices perlustrando scrutari haud destiti, si quid obvium fortassis mihi fieret, quod ad scopum nostrum ferviret. Dumque parvula initia, ut hominum mos est, pertinaci prosequerer studio, faventibus michi & occurrentibus astris, tam fundationis, quam etiam donationum literæ secretiores in manus nostras venerunt, quibus admōdum oblectatus, rem quam quidem volebam, at, quomodo possem, dubitavi, aggressus & feliciter adorsus, ab initio fundationis ecclesiæ ad nostrum usque ævum historiam texui, qua omnibus & præsentibus & futuris, quam fortuna passibus erret ambigua, & quam nullo in loco certa maneat satis superque relucebit. Rerum namque mundialium flos est caducus, & quam stipulæ flamma brevis, tam lata facile mutantur, inimica autem & succedunt & fortius hærent. Rogatum verò pium lectorem velim, ne ad inconcinnam sententiarum compositionem nasum ruget, neque supercilium ducat: Mediis enim (ut ita dixerim) incudibus opus illud ablatum, reformatore caruit, & semper scriptis nostris ultima lima defuit; mente quidem concepta literis prodere licuit; at semel scripta rescribere ad emendationis vel stili vel locutionis modum, vires brachiis natura negavit. Nolui tamen ea, vel quæ didici vel quæ posteritati conducere iudicavi obliterari, malens inscitiam meam testis mihi esse ad posteros, quam illorum vel voluptati vel utilitati morem non gerere. Quæ igitur hoc codice congesse, gratificandi illis animo elaboravi, ea humili pectore offerens emendanda, lectori. Balbus ego balbis loqui statui, magis quam omnino tacere; reputans mecum, quod aliquando fortassis veniet, qui robore spiritus & loquendi dicendique artis peritior ruditatem nostris auferet, in suumque Demostenis oleo nitentem loquendi modum transponet, & illi me ministrasse haut pœnitebit, nostraque ipse, ita suscipiat rogaverim, ut tabellionum prothocollo. Et de hoc satis. Cum verò tam in hac de Gandesiana ecclesiæ fundatione, quam in Clusini cœnobii constructione Antistitum Hildesianorum & Abbatissarum frequens fiat, memoria, rationi consonum iudicavi ordinem & nomina ipsorum præmittere, quo lectori clarius

(\*) Id est poetria.



clarius reluceat, de quo quid afferatur in medium. Ea in re quicquid, dum res gestas describerem, vel memoriam vel notitiam fugerat, id in mentem reductum vel notitiæ significatum nominibus ipsorum subnectendum decrevi. Habet quidem ecclesia Gandefiana aliquot Abbatissarum nomina libro assignata cum annorum numero, quo præfuerunt; at fallit, ut maximè de *Christina* patet, cui triplicatum annorum numerum assignat. De ordine autem regiminis fidelior testis nullus ipsis privilegiis nostris & aliis literis auctoritate fultis, quibus magis standum atque fidem habendam, quam schedulis autore carentibus, nemo est, qui intelligere non possit. Vale, optime Lector.

*Nomina Episcoporum Hildesianorum, & ordo  
eorundem.*

**G**VNTHARIUS. Hic omnium primus institutus fuit ecclesiæ Hildesianæ antistes anno domini Goctingentesimo quarto decimo.

REMBERTVS.

EBO. Iste fuit ante electionem ad Episcopum Hildesianum Episcopus Remensis.

ALTFRIDVS. Iste ex Monacho Corbeiensis monasterii episcopus evasit, cuius consilii princeps *Lutolphus Saxoniae Dux canobium Bruntesbusense* ac deinde *Gandefianum* auspicabatur, ipse autem Episcopus *Essendæ* in civitate videlicet Westfalix *Essen* dicta requiescit, ubi illius gloriosum videtur sepulchrum.

LVTOLPHVS. Et iste Monachus monasterii Corbeiensis in Episcopum quidem electus fuit, sed ante sedem adeptam Deo ac naturæ concedens, sequenti locum dedit. Cum igitur nec dum sede potitus pontificali diem clausurit ultimum, eam ob rem à calculantibus ipsos Episcopos præeritur.

MARQUARDVS quatuor annis rexit.

WICBERTVS. Iste canobium Gandefianum consecravit anno Domini 881.

WALBERTVS.

SEHARDVS.

THEITHARDVS. Iste ex Abbate monasterii Hersfeldensis Episcopus evasit.

OTHVINVS. Et iste ex Abbate monasterii Bergensis antistes emerfit & de civitate *Papia* corpus S. Epiphani Episcopi Hildesiam apportavit.

OSDAGVS. Iste ex monacho canobii Augiensis ad infulam pontificalem raptus fuit.

GERDAGVS.

BERNWARDVS, Comes de *Sommersborch*, Ottonis tertii prædagogus fuit & episcopus evasit, Vir sanctus. Iste *canobium Sancti Michaelis* ordinis S. Benedicti construxit, dedicavit & dotavit atque ibidem monachi habitum induit. Canonisatus fuit miraculis clarus sub *Celestino* Papa 3, anno domini 1193.

GODEHARDVS natione *Bavarus* ex Abbate canobii *Hirsfeldensis* Episcopus factus miraculis tam in vita quam post mortem claruit. Iste *canobium Sultense* ædificavit, & iste in *Sanctorum* *Cathalogum* relatus est, canonisatus sub *Innocentio* papa, in concilio universali *Remis* celebrato. Fuit etiam ab Imperatore monasteriis *Altahensi*, *Degarensi* & *Cremonensi* Abbas datus & constitutus, quæ mira industria ad limites paternos & canobialis vitæ perfectionem provexit.

TEYTHMARVS. Iste ex regio *Capellano* factus Episcopus.

ANSELMVS. Et iste regius capellanus in Episcopum electus.

HERTELO. Iste præpositus *Goslariensis* Episcopus evasit.

VDO.

BRVNINGVS. Iste ante consecrationem resignavit, vir Sanctus & humilis.

BARTHOLDVS PRIMVS. Iste anno Domini 1118 Episcopus electus, *Clusnum Canobium* consecravit anno domini 1124. Idem Episcopus in Monasterium *novalis Mariæ* i. e. *Marienrode* fratres *cisterciensis* ordinis posuit ex canobio *Isenhagen*; Nam permutationem fecit, moniales scilicet *Marienrodenses* transferendo in *Isenhagen*, & patres ex *Isenhagen* in *Marienrode* collocando.

BERNHARDVS. Iste anno Domini 1128 Episcopus electus fuit, *Divi Godehardi* canonisationem in *Remensi* concilio elaboravit, & monasterium ad illius honorem prope & extra muros *Hildeneshemenses* ædificavit. Vir bonus & non nisi tractus in *Cathedram* e *Præposito* antistes factus. Huic quoque nostro canobio haud defuit fautor. Cum post primam institutionem moniales in *Ringelen* præ nimis divitiis Sanctitate dimissa lascivirent, hic monachos illuc transtulit, & monasterii bona in tres divisit partes, ex una parte canobium fundavit S. *Godehardi*, alteram partem fratribus dimisit in *Ringelen*, tertiam vero in usum pauperum retinuit.

BRVNO. Iste ex *Decano* ecclesiæ *Hildenesheimensis* factus Episcopus fuit anno Domini 1152. Amator huius nostri monasterii fuit. Anno tricesimo post huius canobii consecrationem, hoc 3. anno dominicæ incarnationis 1155. tria altaria venerabilis Antistes ille in  
Ecclesia



Ecclesia *Clusina* Deo consecravit, primum in honorem sanctæ crucis, quod tunc jacuit in medio Ecclesiæ, ubi nunc ianua chori est, descendebaturque à choro duabus ianuis ad utrumque videlicet altaris ipsius latus ad ecclesiam inferiorem: Mutatio autem facta fuit *reformationis* tempore, & alia etiam altaria ad columnas ecclesiæ erecta. Alterum altare ad aquilonarem partem chori in honore divi Georgii Martyris, quod tunc non multo altius quam modo altare S. Hieronymi situm est, jacuit, ultra quod ad passum unum aut paulo plus finis ecclesiæ ea in parte fuit. Tertium altare in Australi parte chori in honorem divi Nicolai, quia quod tunc temporis modico altius jacuit, quam modo altare Sanctæ Catharinæ, fundatum est, ubi & finis ecclesiæ illa in parte fuit. Post autem altarium illorum dedicationem anno quinto, eiusdem antistitis consensu *Geroldus Altenburgensis præsul* capellam Sancti Michaelis inter turres ecclesiæ nostræ consecravit loco capellæ Sancti Georgii ex vetustate collapsæ; illud facellum ad *Clusam* pertinuit, unde huic cænobio nomen emerfit. Iste *Geroldus* ab *Hinrico Duce Saxonie* cognomento *Leone* in præfulem *Haldenburgensem* promotus fuit, ubi idem princeps barbaris fugatis vexillo crucis loca ista subjecerat, postea tamen propter irruptiones barbarorum ab ipso Episcopo persuasus, sedem Episcopalem illinc movens *Lubeccam* princeps transtulit, præbendas ibidem statuens 12. & tertiam decimam præposito. Iste venerabilis præsul *Bruno* decimam in *Rieleneshusen* nobis dedit, quam principes *Brunsvicenses* cum cæteris bonis abstulerunt.

*HERMANNVS.* Iste Ecclesiæ Sanctæ crucis præpositus in Episcopum electus fuit, Vir Sanctus, humilis, doctus & facundus.

*ADOLOGVS.* Iste *Goslariensis* præpositus antistes evasit, quem & nostri monasterii fautorem privilegia declarant.

*BERNO.* Iste *Hildenshemensis* ecclesiæ Decanus in sedem Episcopalem promotus annum unum rexit.

*CONRADVS PRIMVS.* Iste *Hildenshemensis* Episcopus factus, nescio qua electione in *Herbipolensem* sedem accitus, citra Romanæ sedis gratiam eo se transtulit, unde factum fuit, ut tam *Hildesianorum* Episcopatum quam *Herbipolensem* cathedram amitteret, ut satis patet de translatione Episcoporum c. c. licet: & de ----- & obedientia c. illud; Et de cleri illud uno anno tantum potitus fuit sede pontificali.

*HERBERTVS.* Ille *Gandesianam* ecclesiam sibi subiacere laborat, at frustra: Nam *Dolina* *Machtildis* prima curiam Romanam petiit, & privilegia victricia reportavit 1207.

*SIFFRIDVS PRIMVS.*

*CONRADVS SECVNDVS.* Iste Doctus excellens sedem meruit pontificalem 1222. Nostro cænobio decimam in *Adesten* dedit anno domini 1238.

*HINRICVS PRIMVS.* Iste ex præposito *Hillegerstaden* Episcopus evasit *Hildenshemensis*.

*IOHANNES PRIMVS.* Et iste ex præposito montis Sancti Mauriti factus præsul fuit.

*OTTO PRIMVS, Dux Brunsvicensis, filius Ottonis de Luneborch* dicti, qui filius *Wilhelmi fratris* videlicet *Otonis quarti Imperatoris* post patrum suum *Hinricum* princeps *Brunsvicensis* evasit etiam capta civitate. Habuit idem Episcopus *Otto fratrem nomine Conradum Verdensis Ecclesiæ præfulem*.

*SIFFRIDVS SECVNDVS, Comes de Querfordia.* Iste nostri monasterii fautor fuisse ex privilegiis colligitur, ut patet de *Bertoldo Abbate secundo*, cui confirmavit nedum quicquid in *Lutolveffen* & in *Clusa* tunc videbamur habere, sed etiam quicquid in posterum justis modis adepturi essemus in eisdem locis.

*HENRICVS SECVNDVS, Comes de Woldenborge.* Iste ex Decano ecclesiæ *Hildenshemensis* præsul evasit.

*OTTO SECVNDVS Comes de Woldenborge.* Iste ex præposito montis Sancti Mauriti pontifex factus fuit.

*HINRICVS TERTIVS Dux Brunsvicensis.* Iste *Otonis primi Antistitis Hildesianorum fratris*, videlicet *Alberti filius*, fuit, habuitque fratrem *Halberstaden* ecclesiæ antistitem *Albertum* nomine, & post mortem patris *Magnum fratrem Ducem Brunsvicensem*. Septem annis contra cives suos *Hildesianos* arma movit. Castrum *Marienborch* dictum ædificavit. Porro autem cum ipsum castrum in fundo possessionis monasterii *Novalis Mariæ*, renitentibus monasterii ipsius patribus fundasset, Dominus Abbas in possessionis defensionem se contra Episcopum armavit, & post plurimas rei illius causa disceptationes, eò tandem summi pontificis telis antistitem aggressum compulit, ut castrum ipsius claves in Abbatis sinum ponere cogeretur, satisfactione promissa. Quæ in causâ cum per aliquot dies laboratum fuisset, compositis prudentum consilio partibus, ita res finem accepit, ut molendinum quod ante civitatem *Hildesianorum* situm & juris fuit Episcopi monasterio in compensationem ablatorum Episcopus restitueret, & sic ecclesiæ maneret castrum ædificatum. Ad aliquot deinde annos cum ipsum molendinum patres tenuissent, mala (ut moris est) contra monachos succreverunt, civibus magis ac magis contra ipsos tumultuantibus, & non æque uni atque alii molere illos causantibus, idque genus aliis in medium afferentibus; moleste enim ferebant monachos molendinum



possidere ante civitatem. Super re ista in diem statutam convenientes acturi negotii mediatores statuere, qui inter partes adversas agentes, eo negotium perduxerunt, ut Hildesiani molendinum tantopere concupitum in sua acciperent, pensionem annuam patribus soluturi, qua soluta, ceteris omnibus ex illo proventibus non secus atque Domini ipsi potirentur, quod ubi placuit, pacti sunt se illis quotannis daturos ad diem constitutum certam frumentorum taxam. Insuper ipso die Bartholomæi Apostoli duodecim sive tredecim porcos per patres sibi præsentatos ad saginarium eiusdem loci accepturos, quos saginatos die Clementis & non ante, illis postulantibus redderent. Pactum placuit, ratumque habitum confirmatum est. Et multo plus se patres gaudere dicuntur de commutationis istius pacto, quam gaudere unquam potuissent de molendini possessione, omnibus & singulis in calculum positis, quæ opus fuit ad conservandum in esse molendinum expendere, cum quotidianis perturbationibus, curis, & occupationibus &c.

Idem *HINRICVS* sororem habuit *Matildam* nomine *Ecclesie Gandesiane Abbatissam*, à qua (ut in de eadem Ecclesia dicitur) oppidum *Bocknem* obtinuit, datis illi & Ecclesie Gandesianæ triginta tribus agrorum mansis in diocesi.

*IOHANNES SECVNDVS* cognomento *Scadelant*. Iste Sacræ Theologiæ doctor ordinis prædicatorii antistes factus, annis tantum duobus in regimine consummatis, resignavit.

*GERHARDVS Dux Montensis*. Iste ex Verdenfis ecclesie Episcopo Hildesianorum præful factus fuit, & contra prædecessoris sui Hinrici Brunsvicensis fratrem *Albertum* nomine *Halberstadenfis Ecclesie præfulem* bellum habuit. Porro Alberto Episcopo frater *Magnus Dux Brunsvicensis* adhæsit una cum Archiepiscopo Magdeburgensi. Congressis autem prælii more, *Gerhardus Hildesianorum Pontifex*, *Albertum Episcopum Halberstadensem* & fratrem eius *Magnum Ducem Brunsvicensem* nec non & Archiepiscopum parthenopolitanum pugnando cepit, unaq; cum 1200 armatis victos habuit, cum tamen idem *Gerhardus* vix quingentos armatos habuisset, concessos sibi per Ducem *Luneburgensem* circa annum Domini 1375. Aliqui volunt *Albertum* illum Episcopum *Halberstadensem* dictum fuisse *Rickmansdorp* & non Ducem Brunsvicensem. Idem Antistes *Gerhardus Caribustam* prope *Hildenshrem* ædificavit, & *Cartallum* prope summam ecclesiam.

*IOHANNES TERTIVS de Hoye*. Iste posteaquam *Padefondanam ecclesiam Episcopus* quinque annis rexit factus fuit Episcopus *Hildensnemensis* & tribus ferme annis contra principes Brunsvicenses arma movit, at non fortunato; plurimos enim in congressu perdidit, quot captivos multis aureis redimi necesse fuit.

*MAGNVS Dux Saxonie de Lawenborch*, *Erici illius frater*, ad quem ducatus *Saxonie* rediit, Duce ipsius sine prole defuncto. At *Regis Sigismundi Imperatoris* majestate, ad *Misfensensem Ducem* translatus fuit una cum electoria dignitate.

Iste *Magnus ex Caminensi præfule* Hildesianorum antistes factus fuit.

*BERNHARDVS Dux Lunenburgerfis*. Iste Hildesianæ Ecclesie sex annis administrator fuit.

*ERNESTVS Comes de Schouvenborg* vel *Schomborch* ut vitiosè dicitur.

*HENNINGVS van dem Huse* Vasallus. Iste Decanus ecclesie *Hildensnemensis* in Episcopum electus maluit Decanatu esse contentus quam cathedra Episcopali gaudere. Citatus nescio à quo ob Decanatum, cum coram Sanctissimo comparuisset & Episcopatu cedere se velle diceret, utpote qui invitus in electionem consensisset, perspecta viri dexteritate & humilitate papa respondit; Tu es verus Episcopus, te obedientiæ voto submittas: potestatis michi à Deo concessæ autoritate antistitem te Hildesianæ ecclesie confirmo, tu auctoritati & potestati obedito. Remittitur igitur Episcopus Hildesianis, at sui eum recipere noluerunt.

*BARTHOLDVS SECVNDVS de Landesborge* Vasallus. Iste ex *Verdensi Episcopo* Hildesianorum antistes evasit. Iste cum civibus & mechanicis inconvetas de cerevisia & aliis vendibilibus exactiones sibi dandas quorundam persuasum indixisset, contempto mandato sua iura cives defendere coram ferro maluerunt quam talibus edictis subjici. Hinc ad arma curritur, principem Brunsvicensem sibi Episcopus adscivit, cives civitatum auxilia postulant. Lite proinde contestata & bello indicto quæcunque Episcopus potuit, civibus intulit, civitatem obsedit. Agentibus contra Hildesianos Episcopo & principe Brunsvicenses, civitates in Diocesim & Ducatum suas expeditiones moventes, igni & gladio, multis malis populos affecerunt, post plurimas rei bellicæ necessarias impensas, rem inutilem se temerè Episcopus didicit & qui magnos sibi proventus ex Hildesianis propositis exactionibus sponderat, virorum animos doctus & civitatum illi coherentium potentiam expertus, cedere cogitur maximis rerum iacturis.

*ERICVS Dux Saxonie de Lawenborch*. Iste Bartholdo vita & dignitate perfuncto in Episcopum electus post confirmationem & diocesis exactionem fratri suo *Ioanni*, sequenti videlicet resignavit, *Monasteriensis Westfalix Episcopus* factus.

*IOHANNES QVARTVS Dux Saxonie de Lawenborch*. Iste montis Sancti *Mauritii* præpositus, fratre scilicet *Erico* resignante, præfulatum Ecclesie Hildesianæ obtinuit. Hic cum aliquot



quot annos laudabiliter præfuisse & iam bono ecclesiæ animum inclinasset, castraque Vassallis oppignorata redimere ære soluto cogitaret, animos illorum in se concitavit, & quos prius amicos putavit, eos postea crudeles sensit hostes. Fuere autem præcipui *Borchardus de Saldar & Steynbargenses*, quorum ex filia & sorore erat procreatus. Hii ordinationis novæ impatientes, ex minimis litem maximam fuscitantes, ab Episcopo & diocesi ad principes Brunsvicenses desciverunt, quibus in illorum sententiam conniventibus, non timuere bellum patriæ indicere, & detestabili rabie hostilique furore non villis solum, sed etiam oppidis clam igni admoto, desolata terræ adæquaverunt. Cum igitur *Gronaw* taliter exussissent & deinde castrum *Allerborch* magno equitum numero aggressi vulcanalia celebraissent, in castrum *Erici Ducis Calenbarch* dictum sese receperunt. Hinc palam factò refugio & defensore antistes *Ioannes accitis ad se Duce Luneborgense Hinrico, Comite Scowenborgense & aliis quibusdam castrum Calenbarch* obsidione cinxit, totoque mense obsedit, circumpositis villis & oppidis consumtis igni. E contrario principes Brunsvicenses sese armaverunt, *Ericus Dux Henricum Ducem Brunsvicensem patrum suum* accivit sibi, cui fratres *Episcopi Christophorus Bremensis, & Franciscus Myndensis* iam terra ab Episcopo Hildesemense & Duce Luneborgense fugatus, adhæserunt. Surrexit exinde bellicum illud tempus, & buccina in terris nostris perlonuit, quorum progressum in *Chronicis Clusensibus* habebis.

*BALTASAR de WALKYRGHEN, Cæsarea Majestatis universalis orator.* Posteaquam *Ioannes* proscriptus & terra sua fugatus per principes Brunsvicenses, consilio plurimorum dignitati & officio renunciavit, istum elegerunt sive etiam postulaverunt in episcopum, qui postulatus assensit, plurima promisit & ob quam electus fuerat, dioecesis recuperationem spondidit, Hildesiam venit, cui ex parte Dioecesis, quæ superfuit, ad illius adventum exactionata octo milia florenorum gratificaturi, ut putabant, dederunt; at vix tribus diebus in diocesi mansit, verum rebus Cæsareis operam impertiturus non multos post menses reditum suum pollicitabatur, & apud majestatem Cæsaream pro virili dioecesis recuperationem operaturum se dixit; Erat enim *Augusto acceptissimus & Constantiensis & Mettensis Episcopus*, demumque Hildesianæ ecclesiæ postulatus; At ô male suadæ aurifamem, in rerum omnium sine principibus Brunsvicensibus favisse dicitur, & diocesim, [ut fama tulit] potius vendidisse, quam illius recuperationi vel parum laboris indulgisse. Vendidit etiam monasterium ordinis nostri *Salveldense*, quod, nescio, si vel a Cæsarea Majestate impetraverat vel in defensionem acceperat, sex millibus florenorum *Comiti de Mansfelde*. Item & monasterium illud quondam potentissimum *Fuldense*, quod ubi tutari debuit, vendidit. Super quibus ad Cæsaream Majestatem delatus, ubi increpitus ob rem, iram illius gravissimam sese meruisse vidit confusus, & ipsam ferre non patiens, illico apoplexia tactus, incurabiliter cecidit, & aliquot dies in valitudine illa adversa misere jacens, tandem defecit extra Augusti gratiam. Quicquid Hildesianæ habuit armorum, id in illius detestationem confectum periit anno domini 1531.

*OTTO tertius Comes de Schowenborch* sive *Scomborch*. Balthasaro vita functo unanimi consensu istum Canonici in Episcopum elegerunt 1531. *Iacobi Apostoli*.

[Sequentia alia manu:]

Episcopatum rexit annos 3. & Capitulo resignavit:

*VALENTINVS de Detbleven.*

*FRIDERICVS princeps de Holstein.*

*BORCHARDVS de Oberge.*

*ERNESTVS Dux Bavaria.*

[Adhuc alia manu:]

*FERDINANDVS Dux Bavaria.*

*Nomina Abbatissarum Ecclesie Gandesiana in ordinem, quo præfuerunt, redacta.*

**HATHMODA.** Illa primum in Cœnobii Brunteshufenfis abbacia consecrata fuit ab Episcopo Hildeneshemenfi *Alfrido*, deinde in Gandershemenfi.

*GARBVRGIS* soror *Hathmodæ*.

*CHRISTINA.* Et ista soror *Hathmodæ* & fuerunt tres filie fundatoris.

*HROSVITHA.*

*LVITHGARDIS* prima, *Ducis Ottonis, filii videlicet fundatoris, filia.*

*WINDELGARDIS.*

*GARBVRGIS* secunda, *filia Hinrici Ducis Bavaria, Magni Ottonis fratris.*

*SOPHIA* prima *Otonis secundi Imperatoris filia.* Et illa libertatis privilegium à papa *Victore* obtinuit.

*ADELHEIDIS* prima *Sophia* ejusdem soror.

*BEATRIX* *Henrici Regis 3. Imperatoris secundi filia.*

*ADELHEIDIS* secunda.

FREDE-



## FREDERVNTHA.

AGNES prima filia sororis Henrici Imperatoris.

ADELHEIDIS tertia, filia Imperatoris Henrici tertii, Regis quarti fuit, atque Henrici quinti Regis, & postea Imperatoris quarti soror. Et non mireris, quod à prima sorore tanto temporis spatio distet. Vide fratrem illius Henricum adhuc puerum regnantem & facile capies, hanc illius fuisse sororem. Idem enim duas uxores habuit, & non uno tempore illas genuit. Hanc fundatricem Clusini cœnobii credimus, de quo postea.

BARTHA; hanc immediate successisse Adelheidi, nostræ literæ privilegiales demonstrant, contra ordinem Abbatissarum, quem libellus quidam Gandeneshemensis ecclesiæ continet. Althelheidis enim adhuc 1124. vitam agebat, & Bartham 1127. rexisse ex literis donationis patet. Non potuere ergo tres intermediare, quibus tamen non pauci anni in præfacto libello ascribuntur.

LVTGARDIS secunda optime de Clusa merita.

ATHELHEIDIS quarta Friderici Comitis Palatini filia.

ATHELHEIDIS quinta Domina Hassia.

MATHILDIS prima filia Borchardi Comitis de Woldenberge.

BARTHA secunda Domina Hassia, de Nyenborch Comitissa.

MARGARETHA Comitissa de Plesse filia annis 53. præfuit.

MATHILDIS secunda. Ducis Brunsvicensis Alberti filia.

SOPHIA secunda. Sub una trium hanc præcedentium castrum Gandesiani oppidi in manus Principum Brunsvicensium pervenisse constat. Sub hac enim Domina Sophia ipsa castrum iam in principum ditione fuisse, eo liquet, quod sub sequente hanc, iam fuit impignoratum, ut in literis nostris de bonorum in Lutolveffen amissione constat. Vidimus quidem copiale literarum Gandeneshemensis ecclesiæ, ubi de castri invasione agebatur, sed sub qua abbatissa fuerit memoria excidit, id tamen quod hæret, assignabimus. Multa vi princeps Brunsvicensis sedem sibi locare in oppido laboravit, cui domina tunc abbatissa libertatis suæ & proprietatis jus opponendo restituit. Inducebantur eam ob rem plurimi dies, in quibus agebatur de non admittenda & admittenda principis voluntate, post plurimas tandem disputationes, id potestati violentæ concessum fuit, quod & sibi negandum nulla ratione introduxit, ut videlicet adventans, sibi proprium illic haberet hospitium. Sic primum hospes violentus, tandem dominus violentior factus, quod fraudulenter obtinuit, potenter defensavit in cœnobii ipsius Gandesiani & omnium adjacentium exitium. Eo namque loci eximium illud monasterium Gandesianum & Advocatum habuit terræ jura reservantem, & pecoribus curam impendentes servos & ancillas, à quibus omnibus ipsum cœnobium liberum maximam quietem Deo dicatis personis præbuit.

JVDITTA Comitissa de Swalenberge filia nescio quo omine in regimine intromissa, omnium prima se ecclesiæ secularis Abbatissam scripsit, penitus in exilium vita cœnobiali & etiam illius nomine trasis, 1334.

ERMEGARDIS. Illa rexit 1357.

LVTGARDIS tertia Comitissa de Hamerfleyne filia, 1359. in annum usque 1400 rexit.

SOPHIA tertia

AGNES secunda

eligitur 1412.

ELIZABETH

Tres sorores filia Ducis Brunsvicensis de Grubenhagen, quibus ascribitur rerum dilapidatio.

WALBVRGIS Comitissa de Spiegelberge filia eligitur 1452, confirmatur per Abbatem Gotfridum mandato Papæ.

SOPHIA quarta filia Ducis Brunsvicensis Alberti in Grubenhagen. Hæc cum ob tribulationem nimiam, qua pulsabatur, repellendam, prædium illud egregium Desbusen dictum, canonico suo Domino Conrado Suehagen oppignorasset ducentis florenis, princeps Wilhelmus moleste tulit sacerdotem tali prædio potitum, & vi subripuit. Cum autem vi & potentia suis viribus principi resistere non posset Canonicus, Romam petiit, contraque invasorem prædii mandatis papæ se armans, eum ad restituendum compulit, qui compulsus ad restitutionem prædii, maluit obedire mandatis, quam majoribus perurgeri telis. Verum sic restituit, ut possessori semper se gravem inque dies graviolem redderet, unde ille vexationum nimiarum perpeffione fatigatus, cessit principi, acceptis ab eo quadringentis florenis, oppignorationis & defensionis in Curia causa expositis. Sicque in manus principum egregium illud prædium venit, una cum silvis & aliis ad ipsum locum attinentibus.

AGNES tertia Comitissa de Anholt filia. Plurimum illa patres nostros ad Cancellarii sui Hermannii Dasselmann suggestiones, variis inpetitionibus fatigavit, maxime ex parte fororcularum in Brunteshusen, volens sibi esse, immo & usurpans de facto potestatem ordinandæ & ad libitum destituendæ priorissæ ibidem. Item & confessorum propter nonnullas, quibus exofus fuit, tolli mandavit; Unde non pauca, non exigua mala partibus adulantibus ministrata, fuere: ingressa enim domina abbatissa cœnobium, quas voluit advocavit, secumque gaudere fecit. Vocatæ, quod id patribus nostris [haud] placere, non eas latuit, multis verbis nos

affe-



affecerunt dolosis, causantes tam rebus temporalibus quam spiritualibus obesse, ex nostris esse illic confessorem. Unde Abbatissa curante secularem ad tempus habuere confessorem. Verum alia ob introductam observantiam, ne inter illepidam ista capita dimitterentur, lacrymis patres nostros rogaverunt, dicentes actum esse, si non bene instituti in vita cœnobiali patris confessoris iuvarentur monitionibus, quapropter patienter insolentiam feminularum ferentes, iterum illi confessorem dederunt, vale dato male instituto & intruso.

Cum cessisset Canonicus potestati principis, ipse princeps ædificia per se in bonis illis ædificata, centum æstimavit florenis, & literis Capitulo datis, cum sibi quingentos aureos restituerent, ipsa bona se redditurum spondit.

*GERTRUDIS Comitis de Regensleyn filia* eligitur, Agnete vita sancta anno domini 1504.

Hæc cum litem instruenti, Dominum *Abbatem Conradum* sibi non posset habere conniventem & adhæsiōi subscribentem, consilio quorundam ipsum citavit ad iudicem ad demonstrandas confirmationis literas. Putavit enim, quod votum obedientiæ insitam [insertum] dolose literis etiam post benedictionem Abbatialem, jure faceret compelleretque subditum fieri in ejusmodi appellatione. Verum notarii instrumento, quo confirmatus fuerat Dominus Abbas usus, nequitas illorum protrivit: Erat enim Canonicus, qui instrumentum confecit. De hoc vide *Chronica Clusensia*.

Noverint huius gratia posteri nostri, quod dum Abbatissa & Canonici dissident, & adhæsiōnem à Clusinis fratribus petunt, nunquam tuto vel Abbatissæ vel Decanæ adhæretur, vel adhæsiō præbetur, verum ab istis petitionibus se faciant alienos, quantum possunt; si autem adhærendum est, adhæreatur capitulo, & tutissimi erunt; Capitulum enim semper manet, nunquam nos experti sumus vel principem vel consulatam à capitulo declinasse, sed ab Abbatissâ & Decana saepe.

Huius Gertrudis tempore *Sellenstede* hæredibus viduata in manus recidit Abbatissæ. Vassallorum enim illius, quibus villa, ut dicimus, nomen dederat, ultimus *Iohan de Sellenstede* absque hærede diem claudens supremum, manibus Abbatissæ feudum reliquit, quæ villa, quam fuisset ecclesiæ utilis, nemo est qui non capere possit. Ipso autem *Iohan de Sellenstede* vita sancto *Henning Ruscenplate* Abbatissæ aures demulcens, villam illam sibi in feudum & hæredibus suis petivit, & domina Abbatissa petitionibus illius condescendens ad aliquorum preces in feudum viro villam contulit centum acceptis aureis; puto viri accusandam ingratitudinem, quid enim ad talis tantique feudi collationem novam centum aurei, quod ipse trecentis alii non conferret.

De *Calebeym* Abbatissæ quondam ex vinearum redditibus quotannis duo vasa vini curru ferrato deferebantur, & cum currus valvam tunc dictam vinariam attigisset, minans equos cessit, moxque & equi & currus vinum afferentes in Abbatissæ proprietatem & possessionem cesserunt. Illud vinum cum attinentis multo tempore iure vitalitio venditum, quasi jam perditum esset, haud sperabatur cito reverti; Verum huius dominæ novissimis pene diebus ultima in vitalitio empto domina futuri cautior, super innovanda emptione, dominæ huic Abbatissæ scripsit, dieque statuta ad rem tractandam in civitate Westphaliæ *Sufato* vel *Soeste* juxta conditum locum convenerunt; illic placens Dominæ Abbatissæ, illius voluntatem in suam sententiam deflexit, & trecentos aureos offerens, vitalitium iam iamque defecturum & finem accepturum recuperavit, emptionemque hæreditariam quoad vitas aliquorum innovavit.

Malo quidem omine in *Bruggen* maxima illa bona domina *Sophia* huius nominis quarta nullius utilitatis respectu oppignoravit, sed ----- de *Oberge* propter se vinculis detenti ob liberationem. Erat illis duobus res secreta, vellem decens, vellem honesta, nulli quam illis solis cognita, unde cum semel dilectam sibi invisere voluisset, in manus hostium incidit, in *Gelriam*que delatus, vinculis mancipatur; quem ut redimeret, quingentis aureis bona memorata Abbatissa oppignoravit, multisque iam annis emtoribus manent. Huius autem *Gertrudis* videlicet diebus Dominus *Walbrandus de Oberge* Ecclesiæ *Hildensemensis* Canonicus, in suo testamento quingentos aureos Ecclesiæ *Gandesianæ* tali conditione delegavit, ut ipsis bona ipsa propter fratrem alienata redimerentur. Porro autem *Gertrudis* acceptis aureis quingentis, adhuc centum, ut puto, addidit, & villam *Dalbeym* etiam oppignoratam redemit, quod tamen paulo post, cum oppido fugata esset, iterum venditioni exposuit & sic neque *Bruggen* neque *Dalbeym* ecclesiæ *Gandeshemensis* possidet.

[Cum in Syntagmatis à *Bodone* conscripti editione priore imperfecta post *Innocentii* Papæ tertii privilegium recitatum, pag. 509. sequantur verba: *Post Innocentii Papæ obitum novis iterum cepit urgeri infestationibus* &c. Illa verba in MSto non extant, sed statim post modo dictum *Innocentii* III. privilegium legitur:]

#### *Privilegium Honorii Papæ tertii.*

**H**onorius servus servorum Dei, dilectis in Christo filiabus, *Mairildi Abbatissæ* monasterii *Sanctorum Anastasii & Innocentii in Gandesheim* & eius sororibus regulariter institutis,

U u

in



in perpetuum prudentibus virginibus, quæ sub habitu religionis accensis lampadibus per opera sanctitatis iugiter se præparant obviam sponso ire, sedes Apostolica debet patrocinium impertire, ne forte cujuslibet temeritatis incursus eas à proposito revocet, aut robur, quod absit sacrae religionis enervet. Ea propter dilectæ in Christo filia vestris justis postulationibus clementer annuimus, præfatum monasterium in Gandesheym, quod ad Romanam ecclesiam nullo pertinet mediante, & in fundo & in proprietate beati Petri noscitur, esse constructum, in quo divinitus estis obsequiis mancipata, ad exemplum felicitis recordationis Agapiti, Iohannis, Innocentii prædecessorum nostrorum Romanorum Pontificum cum Clericis & ministerialibus omnibus ad idem monasterium pertinentibus sub beati Petri & nostra protectione suscipimus, & præsentis scripti privilegio communimus; Inprimis siquidem statuentes, ut canonicus ordo, qui hæcenus est observatus, ibidem perpetuis temporibus inviolabiliter observetur. Præterea quascunque possessiones, quæcunque bona in præsentiarum iuste & canonicè possidetis, aut in futurum concessione Pontificum, largitione Regum vel Principum, oblatione fidelium seu aliis justis modis præstante domino poteritis adipisci, firma vobis, & vobis succedentibus illibata permaneant, in quibus hæc duximus propriis vocabulis exprimenda; Locum, in quo ipsum præfatum monasterium situm est, cum civitate, moneta, thelonio, & foro ac omnibus pertinentiis suis infra civitatem; ecclesiam beatæ Mariæ, in qua monialium est conventus; ecclesiam sancti Bonifacii in *Brunbeshusen*, ubi sunt moniales inclusa & præpositus regularis; Monasterium *de Clusa*, ubi sunt monachi nigri, qui omnes sunt iuxta civitatem Gandesheym; Cætera cuncta & decimas, quas in Coloniensi, Halberstadenfi & Hildensemensi diocæsi posidetis. Sane novalium vestrorum, (\*) quæ propriis manibus ac sumptibus colitis, & de *nutrimentis*, (\*\*) nullus à vobis exigere aliquid vel extorquere præsumat. Nulli quoque post factam professionem ibidem, fas sit nulli absque Abbatis licentia de eodem loco discedere nisi arctioris religionis obtentu. Discedentem autem absque communi literarum cautione nullus audeat retinere. Ad hæc novas & condebitas exactiones ab Archiepiscopis, Episcopis, Decanis, Archidiaconis aliisque omnibus Ecclesiasticis secularibusve personis omnino fieri prohibemus. Chryisma verò, oleum sanctum, consecrationes altarium vel basilicarum, ordinationes clericorum & capellanorum vestrorum, qui ad sacros ordines fuerint promovendi, & ecclesiastica sacramenta à quocunque malueritis Catholico Antistite, communionem & gratiam Apostolicæ sedis habente, absque pravitate aliqua præcipimus exhiberi. Prohibemus autem omnem cujuslibet ecclesiæ Sacerdotem præter Apostolicam sedem in vestro Monasterio habere ditionem. Auctoritate namque beatorum Petri & Pauli Apostolorum inhihemus, ut nullus Rex, Dux, Marchio, Comes vel alia secularis persona licentiam habeat, ipsum monasterium aliquibus hominibus in beneficium dare, ut profecto juxta id quod subiectum Apostolicæ sedi privilegii firmitate consistit, inconcussa permaneat, ditatum, & locis ac rebus, tam his quas moderno tempore habet vel possidet, quam quæ futuris temporibus injure ipsius monasterii divina pietas voluerit adaugere, ex donis, oblationibus, decimisque fidelium absque ullius personæ contradictione, firmitate perpetua, perfruatur. Obeunte verò te nunc eiusdem loci abbatissa, vel earum aliqua, quæ tibi successerunt, nulla ibi aliquibus surreptionis astutitiis seu violentia præponatur, nisi quam sorores communi consensu vel earum pars Concilii sanioris de ipsius collegio monasterii, si idonea reperiatur ibidem, secundum Dei timorem providerint eligendam. Sepulturam etiam ipsius loci liberam esse, decernimus, ut eorum devotioni & extremæ voluntati, quæ se illic sepeliri deliberaverint, nisi forte excommunicati vel interdicti fuerint, nullus obstat, salva tamen justitia illarum ecclesiarum, à quibus mortuorum corpora assumuntur. Libertatesque & immunitates à prædecessoribus nostris Romanis Pontificibus monasterio concessas, nec non & libertates & exemptiones secularium exactionum à regibus & principibus vel aliis fidelibus rationabiliter vobis indultas, auctoritate apostolica confirmamus, & præsentis scripti privilegio communimus. Decernimus ergo, ut nulli hominum omnino liceat præfatum monasterium temere perturbare, aut eius possessiones auferre vel ablatas retinere, imminuere seu quibuslibet vexationibus fatigare; sed omnia integra conserventur earum pro quarum gubernatione ac sustentatione concessa sunt usibus omnimodis profutura, salva sedis Apostolicæ auctoritate & in ecclesiis non exemptis Diocæsiani Episcopi Canonica iustitia. Si qua igitur in futurum ecclesiastica secularisve persona hanc nostræ constitutionis paginam sciens contra eam temere venire tentaverit, secundo tertiove commonita nisi reatum suum congrua satisfactione correxerit, potestatis honorisque sui dignitate careat, reamque se divino iudicio existere de perpetrata iniquitate cognoscat, & à sacratissimo corpore ac sanguine Dei, Domini Redemptoris nostri Iesu Christi aliena fiat, atque in extremo examine districtæ subiaceat ultioni. Cunctis autem eidem loco sua iura servantibus sit pax Domini nostri Iesu Christi, quatenus hic & fructum bonæ actionis percipiant & apud districtum iudicem præmia æternæ vitæ

(\*) nomine.

(\*\*) Ad marginem MSi glossa auctoris hæc erat: *nutrimentis*, id est, *animalibus*, quæ nutriuntur.



vita & pacis inveniant Amen. Datum Lateranen: per manum Will. sanctæ Romanæ Ecclesiæ Vice-Cancellarii, X. Cal. Maji, Indictione IX. Incarnationis Dominicæ anno MCCXXII. Pontificatus verò Domini Honorii Papæ tertii anno quinto.

*De Secunda Bartha electione.*

**M**Echtildi superiore humanis rebus exemta illustris domina *Bartha* hujus nominis *secunda* ex *Nuenborch Hasia* Cænobio Gandefiano præficitur, quam Conradus Portuensis Episcopus & à latere sedis Apostolicæ legatus confirmatam benedixit. Præfuit autem pene annis triginta. Plurima hanc perpessam ferunt ob ecclesiæ Gandefianæ defensionem, sed quæ fuerint illa in manus non venere meas neque notitiæ transmissum.

*De Margareta primæ electione.*

**P**OSTEAQUAM Illustris Domina Bartha spiritum efflavit, illius in locum Generosam Dominam *Margaretam* suffecerunt, quam Gerhardus Moguntinus Episcopus Sthene consecravit. Hanc literarum monumentis quinquaginta annis præfuisse declaratur. Id autem letorem præterire noluerim, quod aut sub altera dominarum prædictarum abbatissarum aut proxime sequente *Dux Brunsvicensis* pededentim *cæpit castrum habere in Gandesbeym*, vi quadam & astutia ingressum parando. De hoc autem etsi in præsentiarum non asit, quod literis mandem, cum tamen certior redditus fuero, registro sive inventario inserere curabo. Obiit 1307 in die parasceves.

*De secunda Mathildis electione.*

**D**OMINA Margareta rebus humanis evocata, illustrem feminam dominam *Mathildem* hujus nominis *secundam* in defunctæ sedem eligentes posuerunt. Hæc *ALBERTI Ducis Brunsvicensis filia* fuit, & a Myndensi Episcopo benedicta, annis præfuit plusquam undecim. Hujus originem ut demonstrarem, ratio, puto, expostulat. *Otto* Illustrissimus princeps & semper Augustus hujus nominis *quartus Henrici*, de quo superius, proscripti *filius* duos habuit fratres, *Hinricum* videlicet & *Wilhelmum*. Porro autem *Hinricus Brunsvicensis & Saxonix Dux* sponsam duxit de Rheno, quæ duas principi filias genuit; cum autem absque herede masculino diem obiisset *Henricus* extremum, filix post patris mortem Imperatori, suo utique superiori *Brunsvigam* 9000 marcis vendiderunt. Iste *Henricus* se *ducem Saxonix, Comitem Palatinum Rens ac sanguinissimi legatum Imperii* scripsit, habuitque in sigillo *equitem evaginatam gladium gestantem*, 1229. ut in privilegiis nostris de ecclesia *Fredensi* patet. *Wilhelmus* autem *secundus frater Ottonis* duxit *Helenam Regis Danorum filiam*, de qua genuit *Ottonem de Lunenborch* dictum. Iste *Otto* partem hereditatis & partem *Henrici superioris* absque herede defuncti, patri videlicet sui, quam filix reddiderunt, à *Friderico secundo Imperatore* jure feudali recepit; at non eo titulo quo patruus floruit; secutus enim illum in *Brunsvicensi* ducatu tantum scripsit se *ducem Brunsvicensis* habuitque in sigillo suo *Leonem stantem*. Parent hæc in literis de ecclesia *Fredensi*, Datum *Brunsvigk* 1236. *Otto* iste de *Lunenborch* volentibus eum suscipere *Brunsvicensibus* civitatem cepit 1227. Duos filios habuit majores natu, *Albertum & Iohannem*, tertium quoque *Ottonem*, quartum *Conradum*. *Albertus & Iohannes* partiti sunt *Brunsvigk & Lunenborg*. *Otto* Episcopus *Hildenshemensis* evasit, *Conradus* vero Episcopus *Verdensis*.

*ALBERTVS* filium sui nominis genuit scilicet *Albertum*, qui deinde etiam *Albertum* genuit Episcopum *Halberstadensem*, *Hinricum* insuper filium antistitem *Hildenshemensem*. Horum Episcoporum pater videlicet *Albertus* etiam *Brunsvigam* traditam cepit. Horum insuper episcoporum soror fuit *Mathildis*, de qua loquimur, ecclesiæ *Gandefianæ* Abbatissa.

*De ipsius Mathildis regimine.*

**I**LLUSTRIS Domina *Mathildis* patre *Alberto* Duce *Brunsvicensium* nata soror *Henrici* antistitis *Hildesianorum* cum ipso fratre suo cambii jure rerum quarundam permutationem fecit, Episcopus accepit *Bocknem* oppidum cum omnibus ad ius illius attinentibus utilitatibus, quibuscunque, translatione perpetuo valitura, datis ecclesiæ *Gandeneshemensi* in acceptorum compensam fructuosam, dominium triginta trium mansorum, quorum in *Alveldia* sive prope *Alveldiam* in veteri villa decem, in *Gronaco* octo, in *Bruggem* quatuor, in *Empire* sex, in *Ledbe* tres, in *Walckenstede* duo habentur; hæc transmutatio facta est 1315, Idus Martias.

*De Sophiæ secunda electione.*

**C**OMPLETIS annis undenis in regimine illustris Domina *Mathildis* *secunda* Deo atque naturæ concedens sedem reliquit Dominæ *Sophiæ* hujus nominis *secunda*, nescio quo stemmate genita. Hæc *Clusino* Cænobio non defuit, sed plurimum fratres & fovit & confirmavit in *Gronmeldeffen* octo jugera nobis vendita cum area una ibidem 1318. In aliis quoque non defuit



defuit interpellata. Sub huius regimine oppidani sese redimerunt datis pecuniis ex potestate Abbatis & capituli anno domini 1329. in die sancti Matthiae Apostoli.

*De Juditha electione.*

**E**Xempta e vita & officio per mortem domina Sophia, illius in locum *Jutta ex Comitibus de Schwalenbarch* promovetur, nescio, si qua memoria digna. Non enim jam cœnobii matrem illa se agnoscit, sed quod aures horrent, quod Deum offendit, *Abbatissam* se prima scribit *secularis ecclesia Gandenesbemensis*. Videte, quibus illa navem felicitatis suæ appellationibus in medium produxit. Videte, quibus tenebris lucem à majoribus acceptam involvat, falsus illi abbatissatus, regimen caliginis simile, O Judith, Judith, non tu ad cognominis tuæ exemplum Gandesianam defenfasti ecclesiam, sed ultro Holofernem introducens Nabuchodonosori te adscripsisti, filias Syon tu Babilonicæ profiteris esse, quin & facis esse, vanitatis. Veras Jacob filias Sichimitarum scribendo dicis assentiri nefariæ cohabitationi. Vide, obsecro fundationis ecclesiæ Gandesianæ literas, illic non offendis secularem illam dici. Non tua laus, sed tua fraus novum orditur ecclesiæ titulum.

*Desolationis miserrime planctus.*

**H**Actenus de Gandesianæ ecclesiæ institutione felici, deque florenti profectio longiuscule egimus, modo de illius marcescenti defectio lachrymabiliter agere compellimur. Arbitror inter ipsam desolationem non satis Hieremias duplicato etiam carmine deflere posset. Ecce enim domui Dei, arci sacratarum Deo virginum, decor omnis aufertur. Et ubi non secus atque in Helicone Musa habitasse dicitur, hac in domo & docte & religiose summoque regi desponsatæ virgines habitantes totum per orbem loci præconium diffuderunt; Hac in domo Deo iubilantes virgines cantabant: at nescio quo volatu abcesserint. Te Reges, te principes summo honore dignam ducentes, maximis muneribus illustraverunt; & jam in te, filias Hierusalem, gentis Antiochenæ natas asseris, materni honoris degeneres filix, secularium glorias venari volentes, prava instituta sanxerunt. Id ad infidias sanctificationi, & totius cœnobii eversionem. Quid enim est domus istius sanctificatio, desolata est sicut solitudo. Honores in nihilum redacti, & secundum gloriam ejus multiplicata est ignominia, illius, sublimitas in luctum conversa, sanctissima cœnobii loca in jumentorum stabula versa, sunt, pulchritudo terræ hujus & claritas Gandesianorum periit. Quid tandem? Quia enim dereliquerunt Deum, & ipse iusto iudicio faciem suam ab eis averit; quo factum est, ut in hæreditatem domus Dei manus omnes injicerent & spoliis illius locupletarentur, & quæ erat libera, quin non libera tantum, sed potens etiam domina, facta est ancilla, insuper illos, quibus similari voluit, hostes passa est. Quos enim sacerdotes ecclesiæ ministros habuit, canonicos habet, & ne id quidem solum, sed etiam, qui ecclesiæ abbatissam eligentes præficiant; Unde totius ecclesiæ exturbatio & loco exitium venit. Verticem summam *Marbildis prima* tenuit, mox illa cadente perditum ivit, quicquid floruisse videbatur, ubi tantorum bonorum opulencia ferme periit. Aliæ oppignoravere, aliæ vendidere creditam sibi ecclesiæ substantiam, non recte tractantes, & paucis ut plurima concludam, non species ulla, non decor aliquis priscorum permansit; quicquid enim in prospectu est, non sufficiens est dici aliqua priscorum umbra. Ipsum oppidum, cui plene dominatur abbatia Cœnobii Gandeneshemensis, villagia circumposita, Cœnobium quoque adjacentia, in manus exterorum tradita, Gandesiani cœnobii desolationem inconsolabiliter lugent. Afferam & dictum mirabilem, creditu difficilem, vero tamen fulcitam rem. *Tantis bonis Cœnobium Gandesianum abundavit, ut si quando Abbatissa loci Romam petiisset, nunquam necessarium illi fuit alieno in cespite nocturnam capere quietem, sed ita pernoctationis necessaria metam & itineris dietam ordinare poterat, ut propriis in bonis domina hospitium capesseret.* Res ipsa memoriæ tradita, vetustissimis intexta rapetibus videtur. Majus illo afferam & pene creditu impossibile, uno in velamine in ecclesia pendente intextum cernitur, dotatam fuisse octingentis milibus mansorum. Ipsum velamen (ut puto) 1534. ablatum fuit, nescio, in quem abusum absumtum. [*malim octo millia mansorum*] Gaudebat Abbatissa advocato nobiliori, qui forenses causas & promovebat & ad dominæ suæ votum iudicabat, cubiculario, pincerna, & aliis id genus administratoribus; non fuit demum tam exiguum quid, quod non infundatum, ut ita dixerim, ministrum haberet assignatum; quod virum decuit, virum habuit; quod feminam, feminam: taceam ne minora, locus privatus, quem necessarium vulgo dicimus, feminam habuit, quæ fœnum ingereret & excuteret, aliam, quæ locorum immunditias purgaret, aliam item aliis deputatam, & nulla illarum pecuniæ obtentu suas obivit partes, sed assignata officii bona ruralia possidebant vel hereditario vel feudali jure. Verum cum tantis in bonis feminæ spatiarentur, improba caro luxum vocavit, luxus libertatem persuasit, libertas transgrediendi ausum dedit. Prima namque institutio, sancta & veneranda; annis tamen centum & triginta vel paulo plus duravit: post obitum enim *Gerburgis primæ* tepesiebat primus fervor, deindeque, carne magis durante quam spiritu, virtutes exulare jubebantur & jam magis carnis altum sapientes, sanguinis obsequia adsci-

verunt



verunt & vulgarem plausum. Interesse processionibus libuit, ministrorum cuneis cingi, alius ut defluentia vestimenta, ne luto maculentur, sustentet; alius ne quis invadat, latus protegat; alius, ne quis offendat, præcedat dominam. Sic, sic cænobialis vita veram humilitatem præferens primum quidem non multum placuit, deinde displicuit, demum exosa despicitur, omnium autem postremo valere jubetur, & ne illius memoria maneat, & nomen proscribitur, damnatumque in exilium nunquam revocandum truditur. Cæterum tam immisericores sibi ipsis fuerunt, manifestum est, ut potestate etiam electionis amissa, omnium malorum sibi causam fecerint. In quondam ministros ecclesiæ, scilicet hebdomadarios sacerdotes, quos Canonicos jam habent, constituendæ abbatissæ transmissa electione, quot eligunt abbatissas, tot turbines ecclesiæ suscitant, ut in sequentibus patebit, licet majora sæpè numero emerferint mala, quam mex notitiæ nosse datum sit, ut viderint, nolo me moretur amplius malum alienum. Ipsa domina *Jutta* etiam huic loco non defuit inquisita adjutrix, sed molendina, in Olden Gandersheym confirmavit.

#### De electione Ermegardis.

**L**ustris plus quam quatuor in regimine peractis domina Juditta finem vitæ & regiminis sortita vitam in universâ carnis 1378. sedem *Ermegardi* cum deformi titulo derelinquens.

#### De Lutgardis tertiæ electione.

**N**on multo plus uno anno domina Ermegardis functa regimine, diem obivit extremum, postquam *Lutgardis de Hamersteyn* hujus nominis tertiæ, circiter Kalendas Apriles 1379 electa, in Abbatissatu ultra quadraginta annos regimen ecclesiæ Gandesianæ secularis factæ tenuit.

#### De tertiâ Sophiæ electione.

**P**ost Lutgardis e vivis discessum in Dominam *Sophiam Ducis Brunsvicensis filiam* vota eligentium directæ, illam ecclesiæ præfererunt hujus nominis tertiam, quæ in defunctæ sedem successa non multo plus denis annis res ecclesiæ Gandesianæ moderabatur.

#### De secunda Agnetis electione.

**I**nferiis Sophiæ celebratis, dominam *Agnem Erici Ducis Brunsvicensis in Grubenhagen residentis filiam* in Abbatissam elegerunt 1412. Exiit autem & dignitate & vita 1438. Hæc contra pseudoabbatem *Dethlevium hujus cænobii* (\*) anno 1429. malitiose electum, sua auctoritate, quæ in Clusinum Monasterium abbatia Gandenesheimensis gaudet, agens, cum fratribus qui illius electioni non interfuerunt, amoveri judicialiter curavit. Hæc & ista, quæ hoc in loco reformationi inceptæ condelectans ne propter rerum inopiam pessum iret assumpta, decimam in Danglevesen, ante aliquot annos per patres emptam, conservandæ & augmentandæ reformationis ipsius gratia omnino pro virili studuit nobis incorporare 1439. Et bene de monasterio nostro merita orationibus præsentium & futurorum fratrum se commendatam esse voluit.

#### De Elizabeth primæ hujus nominis electione.

**I**lustri Domina Agnete rebus humanis exuta, dominam *Elizabeth* nominis hujus primam in fororis defunctæ sedem, directis in eam votis, locaverit 1439. Hujus diebus reverendissimus pater *Nicolaus tituli sancti Petri ad vincula Cardinalis* in Germania à latere papæ missus, plurimum cooperabatur reformationi collapsorum monasteriorum, & si qua ipse propria in persona loca attingere non potuisset, subdelegatis aliis opus ipsum urgebat. Hinc factum est, ut monasterium beatæ Virginis prope Gandesheym summæ ecclesiæ Hildensnemensis Præposito *Echardo* committeretur reformandum, omnibus appellationibus semotis. Ipsum enim monasterium jam dictum, vera Gandeshemensis cænobii filia, ubi matrem à viro recessisse vidit & communicato cum secularibus nomine, a cænobiali vitæ fornicari impunè; similia cogitavit & *Oolyba* minor *Oollam* majorem imitari studuit, factaque est illi similis, & pessundata cænobiali vitæ, secularibus vanitatibus sese prostituit, & ut illius quoque impudentiam dicam; secularis ecclesiæ nomine, meretrix assumpsit potestatemque secum habere sacerdotes fecit, in hodiernum usque diem. Verum cum desuper sibi data auctoritate subdelegatus fulmina in dominam monasterii prostituti jecisset, & omnium communionem illam interdixisset, non valentibus in contrarium appellationibus, coegit tandem assentire sententiæ, & habitum, quem abjecere ante aliquot annos, reassumere, quotquot in monasterio perseverare delegissent; alias autem, donatis pauculis, discedere licebat. In hanc reformationem monasterii prædicti ordinis *Sancti Benedicti* ipsa Domina Elizabeth Abbatissa

U u 3

(\*) sc. Clusini.



tiffa cum toto capitulo connivere urgebatur. Puto si Legatus Reverendissimus pater Nicolaus [Cufanus] majoris monasterii five ecclesie Gandefianae institutionem & fundationem legisset, & ipsam ecclesiam ad priorem five priscam fidem revocasset.

*De prima Walburgis electione.*

**E**vivorum medio Domina Elizabeth abstracta, in illius locum surrogaverunt Dominam Walburgim circiter annum domini 1472. natam ex Comitibus de Spiegelberge, una pars eligentium praecepitque secum electae confirmationem, & possessionem non obtinuit, ut patet.

*De quarta Sophia electione.*

**V**erum cum Elizabeth in fata concessisset & ad providendum ecclesie de surroganda Abbatissa in unum convenissent, Dominae & Canonici, non unum sensere; alii enim dominam Sophiam Ducis Brunsvicensis filiam, superioris Agnetis & Elyzabeth agnatam, alii in Dominam Walburgim natam de Spiegelberg vota fuderunt, quam ob rem cum alii suam & item alii suam praeferrent, illam quidem ad altare, quod in choro virginum est, hanc vero ad summam ecclesie aram, quique suam ducentes, laudem, non ausim, Deo, dicere, canentes, alteri alteris finem cantici praeripere studuerunt. Porro autem Dominae Sophiae faventes, cum citius aliis canticum finivissent cum electa sua abbatiam petentes, ut sibi aditum facerent necesse fuit, aliis armata manu Dominam de Spiegelberge opperientibus. Et quidem locum Sophia obtinuit, at non quietum dominium. Marti enim res ipsa commissa, & non solum inter electas virgines inimicitiae, verum & inter Electores partibus adulanter hostiles persecutiones secuta fuerunt. Domina siquidem de Spiegelberge exitalibus telis Pontificis summi, Sophiam pro virili persequatur, quod adeo in eam atrox fuerat, ut omnium communione interdictam, annis quindenis nexibus ejusmodi teneret, & nulli in aliquarum ecclesiarum oppidi Gandefiae, sacra peragere licuisset, quin & omnium proventu bonorum ecclesiae interdictam Dominam Sophiam expectavit sibi cessuram: factum est autem, ut dum vulgus cum domina urgeretur, moleste ferret inhumanitatem Dominae de Speygelberge, & consilio inito, cum nulli ex bonis ecclesiae liceret reditus solvere Abbatissae, ipso die sanctae crucis quotannis tam oves, quam boves offerrentes ad altare & arti arte illuserunt & vi pietate. Oblatis enim Domina Sophia potita in annum sustentabatur.

Et ita quidem inter electas pugna & violentia fuit, ut non minora inter Electores mala serpebant; adeo enim & illi partibus adulabantur, adeo defendebant, quique suam electam, ut armis se iungerent in alterutrum, & ut hodie usque a natu grandiusculis dissensionis istius tempus recolentibus dicatur *bellum proprium Sacerdotum* vulgo *der Papenkrieg*. Ubi enim opus fuit canonicorum alicui iter facere non nisi armatus id tentavit, & tam lanceam gestans, quam ministrum habens, sacerdos in sacerdotem martem percoluit. Post autem annos quindecim post maxima ecclesiae damna, illa quae possessionem habuit, in loco permansit, alteram autem contentari oportuit in gravissimam bonorum ecclesiae Gandefianae jaeturam. Ad libitum enim, quae placere, abstulit, & maximè ex bonis, quae ad Rhenum possidebat ecclesia. Secesit Abbatissa facta in *Wunstorpe*.

*Ipsa Domina Sophia* huic monasterio, quod potuit non negavit, inter caetera ratam habuit & confirmavit omnium Clufensi ecclesiae bonorum donationem factam.

*De Agnetis tertia electione.*

**P**ost Sophiae superioris vitae excessum dominam generosam Agnetem, Comitissae de Anholt filiam in ecclesiae Gandefianae abbatissam elegerunt. Haec etiam in *Herse* Abbatissae sedem tenuit, tandemque in *Coyphinge* electa fuit, ubi & finem vitae sortita quiescit. Qua vita & officio perfuncta, *Coyphinge* reformatum Ordini S. Benedicti redditur. Hujus sub regimine reviviscere quidem ecclesia Gandefiana cepit, & omnino grandescere; habuit namque Cancellarium, & sermone & opere potentem admodum, qui saepe ad carceres usque, nonnunquam etiam ad intentatam sibi necem, bonorum oppignoratorum recuperationi operam & quidem maximam impendit. Et ut nonnihil dictorum gratia subinferam, decem & novem decimas repignoravit, quibus recuperatis, aiebat; & quidem has decimas multo licet labore redemptas habeam, illas autem quas nondum habeo, si è manibus possidentium eripere possem, prioribus libenter renunciarem, harum possessione recepta. Et quidem haud destitisset à bonorum recuperatione, si tardiore fidere domina abbatissa mortis diem obivisset. Verum illa insperata animam efflante, res quoque coepta finem accepit 1405.

*De prima Gertrudis electione.*

**H**umanis rebus vale aeterno per Dominam Agnetem dato, adunati ad electionem celebrandam Domini Canonici cum Dominabus Gertrude Praeposita & Catherina Decana, alii



alii Gertrudem alii Catharinam eligentes, novas ecclesie perturbationes fuscitavere, & quidem vobis prævalens Gertrude Comitissæ de Regenstein filia possessione potiebatur; Catharina autem Comitissæ de Hansteyn filia, & primum electionis de se factæ vota defendit, deinde verò insufficientiam Gertrudis Romæ accusavit, sic non paucis annis altera possessionem defendit, altera illam ejicere moliebatur. Tandem post multos dissensionis anfractus domina Catharina, ubi non potuit primam obtinere sedem, voluit tamen potiri secunda, & non parcendo aureis, ob Gertrudis furditatem petivit, & tam pretio, si dicere fas est, quam instantia petendi, quod voluit, impetravit, ut videlicet, quæ nomen Abbatissæ habere non potuit, saltem adjunctricis vocabulo gauderet. Porro autem disceptationes longiuscule ambarum causa Romæ agitatae fuere, ut absolvam, id non oblitterandum putavi, quod decem & novem ferme aureorum milia illas impendisse negotio, sero ecclesie Gandensianæ innotuit; sic pro ecclesie prima sede vanissime pugnatum est, maxima cum ecclesie bonorum jactura. Non enim ex burfis suis igni fomitem administravere, sed lienem substantiæ ecclesie excutientes, altera in alteram fulmen Romanum impetraverunt, & quidem Domina Gertrude in Abbatissam confirmata, & Catharina in adjunctricem promotæ. Romæ amplius litigatum non fuit, at in foveas usque Gandensianæ altera alteram non dimisit incessere.

Hujus sub regimine domina Ducissa Henrici principis mater domum prope monasterium minoritarum capituli consensu ædificavit, ea tamen conditione, ut cum vita excederet, domus ipsa in ecclesie Gandensianæ potestatem & proprietatem cederet. Obtinuit & ortum unum satis pretiosum eadem interposita conditione; at illa cum ultimum diem obivisset, matris heredem filius se dicens, retinuit omnia.

*Domina Abbatissa à principe oppido excluditur.*

Cum generosa domina Gertrudis nescio quid querimoniarum in dominam ducissam movisset, ex minimis magna, ut solet, imo & maxima lis exurgens, & hanc & illam valide commovit. Potestas namque potestati, vis vi, reluctabatur. Domina tandem Ducissa filii principis adjutorium invocavit, & ille potestatis, ut putavit, stimulis agitatus, eam quam ut dominam defensam oportuit, plurimis injuriis affecit. Et primum quidem Abbatissæ servitio addictos, oppido interdixit, cujus quidem interdicti necessitate cum non esset, qui frumenta etiam curribus imposita, oppido inferret, horreis condendis, arrepto flagello domina Abbatissa equos minavit, quam valvis proximam ut vidissent principis edictum exequentes intercluserunt introitum, petentique dominæ valvas tolli; cum princeps iusserit, responderunt, tollemus, alias non. Exteras proinde civitates petere compellitur oppidi domina vim passa, & frumenta, & decimas agrorum nemini colligere concessum fuit, sicque periit. Corripit factò domina Catharina Decana, ignara factorum propriorum. Nonne oportuit in defensionem privilegiorum ecclesie Gandensianæ datorum dominam oppido detrusam comitari; nolint, velint proximus arsit paries & omnium res agebatur. Princeps tandem injuriarum & injuriarum in Consistorio Cæsareo damnatus, & reducere abjectam jubetur & sedi restituere.

Anno præterea domini 1429 gravis oriebatur dissensio in generosas dominas Gertrudem Abbatissam, & Katherinam præpositam illius (ut voluit) adjunctricem, maiore canonicorum parte in sententiam Abbatissæ connivente. Domina igitur Præposita quasi rerum ecclesie Gandensianæ profligatarum accusatur, & principi desertur, litigaturque coram eo per articulos, princeps Canonicos singillatim ad se intromissos audivit, examinavit, tandemque simul positos super re alloquitur. Dante autem principe orationi finem utraque adversantium pars principem fieri iudicem flagitat; dantur induciæ, non quibus emendent errorem, sed quibus congerant mala, comminiscantur, quibus se mutuo excarnificent, & certior discutiendæ discindendæque litis dies deligitur & ratificatur. Ad diem partibus præfixam Princeps revertitur, dissidentes convocantur, comparent, lis objectis instruitur; causam abbatissæ & Canonicorum doctor quispiam mercede conductus perorat; agitur rerum repetundarum contra Præpositam; deest ecclesie clenodius calix aureus; bona sigillo clam obtento oppignorata sunt; summæ pecuniarum & aureorum quædam capitales à repignoratoribus levatæ, non in commune bannum ecclesie consignatæ, sed in levantis usum sunt conversæ; detinentur canonici ex ecclesie distributione debita sua; Præposita facit omnia, objectis sese enodatura. Præposita proprius accedit, exuat se dictis, jubetur, illa opinione sua sibi sufficiens, nullo ad rem utitur peroratore, sed dicendi provinciam aggreditur, tentat obiecta excutere, ita semper parata apud Prætores verba facere, sicut promptula fuit ad lites contrahendas, cui non injuria Cajæ Afraniæ nomen objiciatur. Verum contra veritatem bellum ciere inauspicatum semper; multis licet Præposita se excusando uteretur verbis, veritas tamen ipsa tandem claritudine sese contra argumenta ex falso assumpta defensavit, & justitiam pati necessarium fuit Præpositæ; quippe quæ vi vim pellere nequivit; gladio namque potestatis interpellatæ, quo se protectum iri speraverat, ictum sustinere cogebatur. Objectorum igitur & quidem omnium superius descriptorum (taceo autem quæ honestatem muliebrem decent; impudica



impudica enim meminisse nolui) omnium dico obiectorum condemnata, ablata jubetur restituere, detenta reddere. Porro autem imperata restitutionis faciendae summa gravis erat, nimis. Confusa itaque domum rediit, sententiae impatiens. Mox omnibus innotuit, dominam Praepositam malitiae fore convictam, & licet apud omnes res ipsa increpuiisset, qui tamen ex omnibus in compassionis gratiam mollesceret, vix unus & alter fuit. Erat namque ipsa domina Praeposita ex femina sexum tantum & iram possidens, animo autem virum, agebat praecipitis audaciae plenum, unde & si quid patiebatur aliquando, quod non satis ulcisci ad libitum potuisset, sexum in causam vocavit, utpote cui animi satis superque fuerat ad vindicandum: cum autem exigeretur, quod iudicis interpellati sententia in eam fulminatum fuit, mille subterfugendi excogitatis meandris, cum aliud non inveniret, quo se tueretur, sero nimis exemptionis ecclesiae Gandesianae recordata, urgentibus ad executionem & restitutionem dixit, non stabo principis iudicio, juris in me habentis nichil, privilegium ecclesiae nostrae appello, exemptionem me urgere non potest. Caeterum cum incessetur quotidie, caesareum adivit consistorium; queritur illic, principis se perpessam injustam oppressionem & non nisi injuria in exemptionem vim potestatis illum exercere, ecclesiam insuper asseverat & apostolicae sedis gratia donatam, & rude Caesarea gaudentem. Obiectis responsurus princeps citatur; non esse suum iudicem, qui tulerit in se sententiam praeposita causatur: ambarum partium electione se iudicem interpellatum, & esse rogatum princeps respondit. Ideoque non se fecisse iudicem, sed constitutum, iudicis officium peregrisse; sententiam, ergo necesse est ferant, sustineantque arbitri assumti, quippe quem matura quidem satis, sed non cauta deliberatione delectum potestate iudicandi gaudere volebant, non praeter gravem privilegiorum ecclesiae Gandesianae iacturam. Cum autem ipsa praeposita foris plurima moleretur in adversam sibi partem, & contra etiam Principem in Consistorio Imperiali ageret, nova excuderent necesse fuit retia, quibus praeposita consilia illaquearentur.

#### *De Mariae filiae Henrici principis electione.*

Cum igitur generosa Domina Gertrudis de Regensteyn ob aetatem jam interitui proxima iudicaretur, id consilii inter canonicos & principem accessit, ut filiationis iure ac nomine nova abbatissa surrogaretur, quo saltu & quidem unico duos pariter apros caperent, primum videlicet, ne locus daretur Praeposita, quae literis Apostolicis se in adiutricem abbatissae dixit confirmatam. Deinde vero, quod in ecclesia Gandesiana jus sibi usurpasse princeps dicebatur, nulla sibi ratione debitum, iam respectu electionis in filiam factae iure optimo coepta prosequeretur. Verum praeter aliquam dominarum electionem Canonicam claudicasset, cum nisi domina abbatissa & domina praeposita, nostro tempore fuissent, faterentur, unam ex Bohemorum Comitibus sibi adsciscere & in decanam ecclesiae assumere, qua praesto uno omnes consensu in *principis Henrici filiam Mariam* nomine vota dederunt. Et rata habita electione (1531.), quod filia ob aetatis immaturitatem non potuit, pater se facturum sponder. At vaticinari si licet, si quod praesentiscere adjacet, praesagire ac dicere: Filiam principis abbatissam habent; futurum est & patrem patientur abbatem. Fausta, fausta Ecclesiae Gandesianae matri nostrae, quondam coronae nostrae. Et haec quidem electio 1531. dominica Laetare celebrata est; proxima autem Apostolorum Philippi & Iacobi festivitate generosa domina Gertrudis de Regensteyn, diem supremum obiit. Mox igitur nomine filiae princeps possessionem accepit, & quia praematura aetatis filia est, & regimini non sufficit, provisores & rectores ex Canonicis electos substituit, quoad filia se parem rebus praevalere reddere, fideliter acturos. Quicquid etiam in pecudibus & aliis in rebus invenitur, literarum monumentis traditur. Pecora autem ipsa in praedium novum Principis in Bilderla transmittuntur annumerata collectoribus, eodem numero, cum filia locum suum tenuerit restituenda.

#### *Quid secutum sit posteaquam ecclesia Gandesiana curam suscepit.*

Ubi domina Catherina de Hoynsteyn praeposita mortem rescivit abbatissae Gertrudis, multo quidem conatu possessioni abbatiali sese intromittere studuit, at artem semper ars fefellit, toto itaque anno & ultra etiam, quibus potuit, impugnavit principem in Consistorio Imperiali contra ipsum agendo. At ipse repugnans conatus Praeposita invalidavit. Interea tamen temporis, quo vicissim, quid quisque posset, taliter experirentur, nomine filiae suae res ecclesiae moderabatur, & non tantum nomen abbatis habuit, verum etiam potestatis exercebat dominium, ut jam in omnibus palam fieret, canonicos, dum illius filiam sibi dominam elegissent, malum suum accersisse, & dolori occurrisse. Primum enim antequam filia illius in abbatissam electa fuit, non potestate tantum, quamvis injusta ipsam ecclesiam, Gandesianam, quod nullus unquam potuit vel etiam tentavit, tributariam sibi fecit; sed etiam partibus adulando, ad id ipsum pellexit. Deinde vero filia electa, ne quidem interrogando, sed



sed quicquid libuit hoc sibi licere putavit. [Manus recentior.] Cum igitur gratiosa domina *Maria Henrici Brunsvicensis filia* Abbatialem resignasset dignitatem *Magdalena de Columna ex Bohemorum Comitibus* exorta in Abbatissam consensu capituli eligitur.

*MARGARETA* soror *Magdalene* in Abbatissam eligitur 1567.

*ANNA ERICA* Comitissa *de Waldeck* eligitur 1589.

[Veteri manu sequentia in fine hujus libri adscripta erant.]

*Doctoris Marci Holtbusen Decani Montis Sancti Mauriti*  
*probe Hildesheim informatio quadam super im-*  
*petitionibus bonorum.*

**S**I quis dixerit bona aliqua ad se tanquam *heredem* pertinere, ostendat titulum; cui successit.

Si dicit bona esse *Emphyteotica*, ostendat formam contractus, qui in eo est comprehensus.

Si dicit bona *lironica*, designet officium, ad quod spectent & pertineant.

Si dicit bona *consualia*, ostendat contractum concessionis sibi aut successoribus [anteecessoribus] suis factum.

Si vero nullum praedictorum verificare potuerit, imponatur ei silentium super molestatione & impetitione tentatis.

## XXVIII.

## SELECTA

## EX

## CHRONICO CLVSINO

HENRICI BODONIS,

Ex MSto.

*In Chronica subsequencia prooemium.*

Peræ pretium se facturos nonnulli putaverunt, si, quæ suis temporibus gererantur, non letheis operiri sinerent aquis, sed ea potius mandata litteris ad notitiam transmitterent posteritati. Quos equidem à vero hallucinatos, ut ausim dicere minime, ita optime etiam meritos, ratione veri arbitra compulsus, assevero rectissime. Per præteritorum namque rationem sapientissimi cuiusque animus divinatur futurorum exitum, maiorumque ductu studia juniorum redduntur lucidiora. Tutior ac audacior fit animus adversus casus omnes veterum lectione; sapiens sapientior, erit, & cuncta ratione quadam & tractabit & gubernabit, quandoquidem negligenter actorum casus cautelam illum doceat, & providi etiam viri naufragium, imprudenti portum stabiliorem demonstrat. Miltiadis egregia facinora litteris mandata Themistoclen de somno excitaverunt, & ad trophea capessenda sua vi, (ut ita dixerim) armavere. Alienæ virtutis lectorem Theramenem, quod a litteris virilitatem contraxerit, dixisse ferunt. Citatum huc velim regem illum potentissimum Assverum: ad stipulabitur enim dictis. Adeo namque rem illam dilexit tantique æstimavit, ut cum insomnem ac lætitiæ plenam noctem duceret, historias & annales sibi præsentari, & legi coram se fecerit. Quid igitur? O litterarum vim! O maiestatem! O donum & quidem peculiare, ab omnium moderatore seculorum seculo hominibus datum! cui quid (dummodo non perperam eo utatur quis) æquiparari possit, ne utiquam invenio.

Quid enim litteræ? veterum testes & absentium vice fungentes. Inter metales plurimum virium habent: per illas enim & alloqui absentes non secus atque præsentis valemus, & audire, quos non videmus; quin & vita longiuscule iam functis per litteras quas reliquere superis, quasi coram positis utimur doctoribus. Huius proinde rei tan nobilis tamque utilis rationem habendam Venerabilis Pater ac Dominus *Conradus, canobii viui moderator*, censuit, maxime cum nos videremur tempora incidisse tribulationum & oppressionum feracissima ac nunquam seculorum oblivioni danda. Indignum ob id & rationis absconum esse iudicavit, si quæ vel dura necessitate coacti passi fuimus, vel pro virili in tanta rerum perturbatione resistendo, Dei gratia nobis propitia, defendimus, perinde atque super spongiam incubuissent, obliterarentur. Ceterum cum de diebus nostris tantum historiam texere,

Xx

quasi